



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlm VIII. Volentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](#)

694 Decret. Gregor. Lib. I. Tit. XXX. Cap. VIII.

sum iurisdictionem exercere non possit, ea est, ne iudicij processum instituendo alterius territorij iurisdictionem violare, sibiique arrogare censeatur. c. 2. de constit. in 6. Qua ratione cessante, videlicet si nullus iudicij processus, vel causa cognitio necessaria sit, & in iurisdictione voluntaria, ut in absolutione à peccatis & censuris, in delegatione causarum, aut si causa v.g. excommunicationis inferenda notoria sit, vel denique si Ordinarius loci consensum præbeat, vti docet Nauar. c. 27. man. n. 6. & dicam in c. vt litigantes, 5. de officio ordin. in 6.

CAPITVLVM VIII.

Volentes.

PARAPHRASIS.

Gregor. IX. Pontifex Apostolicæ legationis officium in prouincia sua commisit Patriarchæ Hierosolymitanæ; ita tamen, ut si accidat Legatum à latere eò destinari, interim dum ibi commoratur, legationis suæ potestatem Patriarcha non exerceat.

SUMMARIUM.

1. Officium Legati Apostolici suspensum est superueniente alio digniore.
2. Missio uno Legato, si mittatur postea adhuc alius, prior non censetur ideo renocatus.

¶ **N**O T A N D V M I. Officium Legati Apostolici, superueniente Legato digniore, videlicet qui sit Cardinalis, seu de latere Papæ, non quidem expirat, sed interim suspensum est. Habet itaque iurisdictionem in habitu, non in actu, vti docet Imola h̄c n. 4. Ratio est, quæ in textu indicatur: *Quia Legatus à latere speciali modo Pontificem repræsentat: ergo æquum non est, ut eo præsente, quispiam Apostolicam, seu Pontificiam auctoritatem exerceat, nisi Legatus ei causam committendam duxerit.* Exinde porrò colligitur, quod neque Legatus à latere iurisdictionem aliquam exerceat, si ipsemet

Pontifex in loco præses sit, vti docet Dur. tit. de Legato, §. finitur, n. 5. arg. c. antiqua, 23. §. Dominicæ, de priuilegiis.

NO T A N D V M II. Si Pontifex postquam unum Legatum ad prouinciam despatavit, alium mittat, non ideo prior revocatus censetur. Ita docet Dur. in speculo tit. de Legato, §. Finetur, prope finem. Imola hic n. 6. Abb. n. 2. post Gl. communiter receptam in c. 3. causa 25. q. 2. ver. prætermitti, arg. l. 2. C. de testam. tutela, ubi dicitur, quod testator dando alterum tutorem non censetur reuocare eum, quem pritis dederat. Licet aliud sit in procuratore, l. si quis cum 31. §. Julianus, ff. de procurat. & c. penult. de procur. Discriminis ratione h̄c affert Abb. n. 3. & cit. c. penult. n. 4. *Quia Procuratores, si plures sint, accidere facile potest, ut mutuo se impediant, & unus alteri repugnet: Sed duo Legati, sicuti & duo Vicarij generales & æquales, habent iurisdictionem insolidum; idque interdum necessarium esse potest, ut causæ citiis expediantur, arg. l. ff. de officio consulis.*

CAPITVLVM IX.

Excommunicatis.

PARAPHRASIS.

Legati, non de latere, ad prouinciam despati, solos prouinciales ab excommunicatione lata contra Clericorum perculores absoluere possunt, dum in prouincia existunt: At vero Legati nati, seu quibus munus legationis Apostolicæ ratione dignitatis suæ competit, ij neque prouinciales subditos absoluere possunt, nisi talis facultas eis specialiter concessa sit.

SUMMARIUM.

1. *Legatus à Latere, vel qui cum potestate à latere missus est, à die egressus suis Urbe usque ad redditum in Urbe mons sunque Clericorum perculores ab excommunicatione absoluere potest, nisi non sit renocatus.*

2. Lc